UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti

Stengel, Carl

[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV

IV. Ivlii. S. Vdalricvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38356

Visual Library

SVDALRICVS nobili loco natus, ab ineunte ætate piè institutus, in omni vitâ Christianis virtutibus præluxit. Puer ab omni intemperantia refugit: habitu, incessu, & vultu morum grauitatem præ se tulit. Adulta iam ætate in cænobio S. Galli religiosis monachis in disciplinam traditus, cum in litteris, tum in ecclesiasticæ disciplinæ studiis mirificè profecit. Virtutum igitur progressionibus cùm in dies maiorem laudem collegisset, tandem Augustæ Vindelicorum Episcopus creatur. Qua administratione susceptâ, totus in id incubuit, vt quem beatus Paulus Apostolus episcopum expressit, illum vitæ exemplis, castissimâ religione, diuinæ pietatis officiis, omniq; episcopali sanctitate perpetuò imitaretur. Abstinentia enim magna fuit, & admirabili: carnibus non vescebatur, humi cubabat, vili stramento subiecto: erga omnes hospitalitate acliberalitate vsus, tum erga pauperes inprimis, quos in mensâ conuiuas semper adhibuit. Religionis caussâ aliquoties ad limina Apostolorum Romam peregrinatus est. His aliisque religiosè sancteq; factis, ac miraculis præterea multis, quibus illius sanctitatem notam Deus esse voluit, tertium & octuagesimum annum agens ad præmium abiit in cælum, Die IV. Non. Iulii A C. CMLXXIII. Anno ante obitum decimo octauo, prælio interfuit, quo Otho Magnus Imp. Hungaros, qui Augustam obsidione cinxerāt, internecione cecidit, quo tempore VDALRICVS inter medios telorum iactus sacerdotali stola tectus volitabat, & CRVCEM diuinitùs sibi missam ab Angelo accepit. *Ex vita.*

NOTATIVNCVLA.

HIc non immerito inter Benedictinos numeratur, cùm non solum in monasterio educatus fuerit, verumetiam Regulam S. Benedicti in Episcopatu obseruauerit & habitum portauerit: licet professionem ab Ingelheimensi Episcoporum concilio prohibitus non emiserit.

S. VDALRICVS EPISC. AVGVST.

Hic miræ abstinentiæ largitatis & uigilantiæ, ac miraculorum gratia illustris cum esset, in signum uictoriæ contra Hungaros. CRVCEM per Angelum cælitus sibi missam accepit A.C. CMLV. Ob. IV. Iulij A.C. CMLXXIII.